

A NNO ð natiuitate domini M.CCCC.XV. indictione VII. pontificat^o quò supra, die uero martis secunda mensis Martij, fuit celebrata sessio, in qua dominus noster celebravit missam in ecclesia maiori de spiritu sancto. Quae celebrata, fuerunt lectæ solennitates quæ consueuerunt fieri in sessionibus. Deum dominus noster sedens in cathedra ante altare, conuersus ad concilium ibidem congregatum, legit schedulam tenoris sequentis, per dominum Vitale patriarcham Antiochenum nomine concilij traditam, alta uoce scilicet incipiendo.

Ego Ioannes papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, iuro, & uoueo deo & ecclesie & huic sacro concilio, sponte & libere dare pacem ipsi ecclesie per uiam meam simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cù effectu iuxta deliberationem præsentis concilij, si & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. Et Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obediencijs nuncupati, papatus quem prætendunt, per se uel procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu cessionis uel decessus, aut alio in quo per meam cessionem poterit dari unio ecclesie dei ad extirpationem præsentis schismatis. Et dum legebat illam clausulam in præscripta schedula, spondeo, promitto, uoueo, & iuro deo, flexit genua uersus altare, ponendo manus ad pectus, & dixit hæc uerba: Et ita promitto obseruare. Quo factò, Imperator surgens de sua cathedra, reuerentius fuit eidem domino nostro nomine concilij & suo, flectendo genua, deponendo coronam, & osculando pedem eiusdem domini nostri. Et etiam dominus patriarcha fuit reuerentius eidem nomine concilij. Post hæc cantores inceperunt cantare, Te deum iaudamus &c. Et procurator concilij Ioannes de Scribanis, petijt nomine concilij conscribi publicum instrumentum à protonotarijs & notarijs ac scribis sedis apostolicæ.

PRIMA SESSIO POST MISSAM PAPAE,
seu tertia in ordine sessionum.

D IE lunæ XXV. mensis Martij supradicti fuit sessio generalis, in qua præsidebat dominus Petrus cardinalis Cameracensi, tituli sancti Grifogoni presbyter cardinalis, qui dixit officium missæ, in qua rex Romanorum in habitu Impiæ alii fuit cum suis nobilibus, prout decuit regem Romanum, cui regi assistebat dominus Franciscus cardinalis Florentinus diaconus cardinalis tituli sanctorum Cosmæ & Damiani. In qua quidem sessione cætata missa de domina nostra de annunciatione, factum fuit officium letaniarum cum introitu, Exaudi nos domine, quoniam am benigna &c. & collecta pro pace.

Subsequenter dominus cardinalis Florentinus, iuxta deliberationem sanctæ synodi pronunciauit certos articulos siue constitutiones seruandos ad perpetuam rei memoriam, quorum tenores sequuntur:

Ad honorem, laudem & gloriam sanctissimæ trinitatis, patris & filij & spiritus sancti, pacemque in terris hominibus bonæ uoluntatis diuinitus promissam, in dei ecclesia consequendam, hæc sancta synodus sacrum generale concilium Constantinensium, nuncupata, pro reformatione & unione dictæ ecclesie in capite & in membris scienda, in spiritu sancto legitime congregata, decernit, declarat, diffinit, & ordinat, ut sequitur:

Et primo, quia ipsa synodus fuit & est rite & iuste conuocata ad hunc locum ciuitatis Constantinensis. Et similiter recte & rite initiata & celebrata.

Item quòd per recessum dñi nostri papæ de hoc loco Cõstantiensis, uel etiam per recessum aliorum prælatorum seu aliorum quorumcumque, nõ est dissolutum hoc sacrum concilium, sed remanet in sua integritate & autoritate, etiam si quæ ordinationes factæ essent in contrarium, uel in futurum fierent.